

Simplicitas rudis ante fuit : nunc aurea Roma est,

Et domiti magnas possidet orbis opes.

115 Aspice quae nunc sunt Capitolia, quaeque fuerunt :

Alterius dices illa fuisse Jovis.

Curia, concilio quae nunc dignissima tanto,

De stipula Tatio regna tenente fuit.

Quae nunc sub Phoebo ducibusque Palatia fulgent,

120 Quid nisi araturis pascua bubus erant ?

Prisca juvent alios : ego me nunc denique natum

Gratulor : haec aetas moribus apta meis,

Non quia nunc terrae lentum subducitur aurum,

Lectaque diverso litore concha venit :

125 Nec quia decrescunt effosso marmore montes,

Nec quia caeruleae mole fugantur aquae :

Sed quia cultus adest, nec nostros mansit in annos

Rusticitas, priscis illa superstes avis.